

28.

Epistola domini Pauli de Bernardo ad dominum Michaelem de Albertis.^{a)}

[Vat cc. 102 r-102 v].

Quod detestaris, amice, quamque litteris tuis execraris abusionem, ad unicum scilicet scribere plurali vocabulo, semper deo teste exosum habui, semper abhominatus sum, velut ab assentatione progressam atque ad inanem adulacionem inventam. Namque, ut eleganter diseris, nulla scriptura est cuiuscunque professionis et facultatis, antiqua sive moderna, gentilis vel sacra, que hoc nugatoria stilo utatur, sive ad deos, sive ad homines sermo fiat; nullam denique linguam invenies ex multis quas induxit rerum varietas,
 10 que hanc barbariem fandi norit. Hanc pestem primo ortam acceptimus estate Iulii Cesaris, si quicquam Lucano credimus, qui cum Phars. V 385-6. omnia reipublice occupasset, nil actum credidit nisi et voces blandiloquas, quibus, ut idem ait, « mentimur dominis », occuparet infelix. Nec tamen huius erroris autores puto viros Ytalicos, in quibus etiam fractis rebus perinde ac florentibus maiestas utique et gravitas semper fuit; si quidem Roma ipsa princeps olim orbis terrarum, Etruria, Apulia, Trinacria, maxima pars Italie ad usque in presens nec Deo nec hominibus nisi pura tualitate, ut ita dixerim, cum res exigit, verba fundunt. A Gallis itaque, quos ille
 20 vixor secum traxit in Latium, quibusque satellitibus usus est, cum male de patria cogitasset, hec, ut reor, emanavit insania; qui naturali eulogio, nedum cum hominibus, sed cum equis et canibus suis hac inepta pluralitate loquuntur. Et cum pars ista Italie quam incolimus, quamque Liguriam vocant, contermina Gallis sit, indeque Gallia Cisalpina vocata, Gallorum morem, imo corruptellam nimirum imitata est demens.

Porro ego ex quo cepi aliquid nosse semper oblectatus sum hoc stilo, quem omnis etas, omnis scriptura servavit, robusto quippe et digno virili ingenio. Hoc uti ceperam tecum, si modo memor sum mei, nec illum intermisi, nisi quia et tu non visus es appro-

^{a)} Cfr. a pagg. 76, 88, 106, 150.